



einustellen  
G  
W



DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE  
IVSTIFICATIONE  
HOMINIS PECCATORIS  
CORAM DEI IUDICIO,

*quam*  
ANNVENTE TRINVNO

In Illustri Academia Salana,

SVMME VENERANDI COLLEGII THEOLOGICI  
C O N S E N S V

PRÆSIDE

*Maximè Reverendo, magnifico ac excellentissimo viro,*

D O M I N O

FRIDEM. BECHMANNO,

S. S. Theol. Doctore ejusdemque in Academia Jenensi  
Profess. Publ. Ordin. Facultatis suæ & totius Academiæ Se-  
niore venerando,

PRO LICENTIA

SVMVM IN THEOLOGIA GRADVM RITE CONSEQVENDI,  
publice examinandam proponit hor. ante & pomerid.

*d. Novembr. Anno 1701.*

M. MATTHIAS JACOBVS *Wahl/*

Magdeburgensis ad Templum Spiritus S.  
Ecclesiastes.

---

J E N Æ,  
Literis KREBSIANIS.



DISPUTATIO INAGVETALIS

DE

IVSTIFICATIONE  
HOMINIS PECCATORIS  
CORAM DEI IUDICIO

AVGVSTINVS

In Illustri Academia

SVMMVM THEOLOGICVM GRADVM ALTE CONSPICVIT

AVGVSTINVS

AVGVSTINVS

D. O. M. I. N. O.

AVGVSTINVS

AVGVSTINVS

AVGVSTINVS

PRO LICENTIA

AVGVSTINVS

AVGVSTINVS

AVGVSTINVS

AVGVSTINVS

AVGVSTINVS

AVGVSTINVS

AVGVSTINVS







PROOEMIUM.



Domini clementissimus salvator  
 Jesus Christus ecclesiam nostram  
 purissimam ac jucundissimam  
 suam sponsam, (a) hisce temporibus,  
 quæ periculosissimis calamitatibus  
 prorsus abundant, illustri doctrinarum  
 orthodoxarum magnificentia prosperet,  
 ac plane secundet (b) nihilotenus tamen  
 multi adversariorum, qui iracundum  
 persecutionum mare novis,

A 2

ac

- (a) Quicquid est usquam gratiarum, quicquid elegantiarum, ac cupidinum in illius membris assurgit. Exosculamur in oculis nitorem, in labiis dulcedinem, in lingua suavitatem, & in facie venustatem: Elegantissima Rahel illam præfiguravit. Hinc Just. Mart. doctissimus primitivæ ecclesiæ doctor: λέει ὁ λαὸς ὑμῶν, καὶ ἡ συναγωγὴ. Ραχὴλ ἡ ἐκκλησία ἡμῶν. Lea (Judæi) populus vester est, & synagoga; Rahel ecclesia nostra. Dial. cum Tryph. p. 364.
- (b) Nemo enim, quo gaudemus, hæctenus demonstrare potuit, quod ecclesia nostra, in cujus deliciamur amplexibus, novas ac cum scriptura canonica pugnantem disseminet doctrinas.



ac atrocibus evehunt imbribus, id dant omnino operam, illius ornamenta, quibus universus orbis illustratur, ac condecoratur (c), calumniis, ac obtreccionibus ut incrustent, commaculent, ac penitus conspurcent (d). Nonnulli cœlestem orthodoxiæ splendorem, qui elegantes pietatis emittit radios, densissimis obducunt, ac infuscant litibus. Nonnulli ad castra antiquissimorum hæreticorum, quia nihil novi sub sole, audacter transeunt, ac veritatis luci, quam timent, fumos, ac errorum nebulas affundunt. Nonnulli pharisaicam vivendi rationem, abjecto probitatis ardore libenter concedunt, multisque erroribus secure, ac constanter in hærent (e). Ah! tristissima ecclesia, mœstissima gratiarum, ac pulchritudinis

(c) Nam non novam sibi Lutherus, & ejus symmystæ procudere voluerunt ecclesiam, sed priorem illam, & morum, & ἐπεροδιδασκαλιον foridibus misere sœdatam repurgare, mundare, expolire, & pristino splendore, ac primævæ integritati restituere studuerint. Gerh. Loc. de Eccl.

(d) Æmuli sunt in impios Arianos, de quibus Athanasius: Ταῦτα, ἃ ἀνοί σωραῶνες, καὶ παρησιασάντα ἔχοντες ἐν τοῖς ἰδίοις κατὰ ψέδον τῶν εὐσεβῶν, h. e. Illis animadversis, certi, quam nihil sit fiducia in sua secula, ad mendacia de piis hominibus fingenda confugiunt. Tom. I. de sent. Dionys. cont. Arian.

(e) Ante finem mundi non est, quod pacem, & concordiam universalem speremus in Doctrina. Vid. Seckend. lib. III, Luth. §. 20.

(e) Eel-




dinis mater cœlum gemitibus implet, oculosque  
 fetu corrumpit. Idcirco dices, noctem esse in  
 ipso meridie : Ast quia cum primis articulus de  
 Justificatione hominis peccatoris coram Dei judi-  
 cio, qui est totius christianæ religionis acropolis  
 (f) horrendis, ac stupendis, hac tempestate, quod  
 experientia aperte loquitur, involvitur tenebris  
 dubiisque sophismatibus obnubilatur, proinde  
 ejus indolem, quæ divinam omnino spirat dul-  
 cedinem (g) in præsentiarum eâ, quâ fieri pot-  
 est, brevitate describemus. Adsit DEVS pio  
 conatui!

(f) Eleganter B. Quenstedius : Divinissima de gratuita ho-  
 minis peccatoris per Christum vera fide apprehensum coram  
 tribunali Dei justificatione doctrina ἀνεγώδις est totius  
 Christiana religionis, ac nexus, quo omnia corporis doctrina  
 christiana membra continentur, quoque rupto laxantur &  
 solvantur reliqui articuli omne. Syst. Theol. Art. de  
 Justif.

(g) Amisso quippe articulo de Justificatione, amissa est  
 omnis lætitia Christianorum. Fatetur id nobiscum  
 Form. Concord. Hic articulus de justitia fidei præci-  
 pius est in tota doctrina christiana, sine quo conscientia  
 perturbata nullam veram & firmam consolationem habe-  
 re, aut divitiis gratia Christi recte agnoscere possunt. De  
 Just. fid. coram Deo. Conf. Luth. in præfat. super  
 Epist. ad Galat. Chemnitius Loc. Theol. de justif.  
 Meisner. Anthropol. Dec. III. disp. XXIV. pag. 140.  
 Verissimum adeo est illud Lutheri dictum, quo sa-  
 pius fuit usus: *Justificatio est articulus stantis, & ca-  
 dentis ecclesia.*





De

*Gratuita Justificatione homi-  
nis peccatoris coram Dei*  
J V D I C I O.

§. I.



Multi equidem, id quod est in pro-  
patulo, inter VVeigelianos, ac  
Quakeros inveniuntur, qui negle-  
ctis philosophiæ placitis omnes vo-  
cabulorum enucleationes ceu fon-  
tes inutilium speculationum rident ac damnant;  
præcipua quippe eorum est opera, insultare So-  
phorum ordini, turbare ecclesiam, quærere res  
novas, rædio præsentium, odio veritatis, ac simu-  
latione pietatis: ast non possumus non detecta  
inani vanitate, quæ græcarum nugarum implet  
mensuram, firmissimis asserere rationibus, quod  
istæ cum primis sint necessariæ, quia mentem à  
falsis, ac erroneis opinionibus revocant, ac ad ele-  
gantiam claræ ac distinctæ cognitionis reducant  
(a). Explicaturi itaque dulcissimam justificationis

natu-

(a) Vocabula enim, uti constat, res artissimæ comple-  
ctun-



natūram, nos operæ pretium esse factūros sperā-  
mus, ac plane certi sumus, si ad enodationem vo-  
cum, quibus designatur, progrediamur, antequam,  
quæ ad solidiorem spectant tractationem, uberiori  
commentatione tradamus.

§. II. Gestimus itaque plane viam, quam  
semel ingressi sumus, devote premere, ac calcare,  
quo rite provehamur, ac in exoptatissimam veri-  
tatis sedem deducamur (b). In aperto autem est,  
quod vocabulum Justificationis in præsentī ne-  
gotio non habitualis, & intrinsecæ justitiæ, ac san-  
ctitatis productionem, sed peccatorum remissio-  
nem, justī declarationem, ac ad vitam æternam  
deputationem ex usu loquendi in scripturis ob-  
vio significet (c). Neque verò vocis *Justificandi*  
in

Etuntur. *περὶ γράμματα*, inquit Chrysofomus, *ἑσονται*  
*ματὰ τὰ ὀνόματα*, h. e. *multarum rerum monumenta sunt*  
*vocabula*, Tom. IV. in N. T. p. 387. Et Clemens Ale-  
xandrinus concinne ac eleganter dicit: *τὰ ὀνόματα*  
*τα σύμβολα τῶν νοημάτων*, *Vocabula sunt signa eorum,*  
*que animo cogitantur*, lib. VIII. Strom. p. 781.

(b) Veritas quippe justificationis creditu maxime neces-  
saria est. Hinc magnus Lutherus: *Si unicus hic ar-*  
*ticulus sincerus permanserit, etiam christiana ecclesia since-*  
*ra, concors, & sine omnibus sectis permanet. Sin vero cor-*  
*rumpitur, impossibile est, ut uni errori, aut fanatico spiri-*  
*tui obviam iri possit.* Tom. V. Jenens. p. 139.

(c) Nosfrates in solida Declarat. Form. Conc. art. III;  
postquam pag. m. 685. demonstrarunt, quod voca-  
bulum



in genere spectatæ, cui respondet Hebraicum ver-

bulum justificationis in hoc negotio significet ju-  
 stum pronuciare, & à peccatis & æternis peccato-  
 rum suppliciis absolvere, accurate & concinne lo-  
 quuntur; *Diligentiſſime observandum est, si modo arti-  
 culum de justificatione sincere retinere velimus, ne ea, qua  
 fidem precedunt, & qua eam sequuntur articulo huic, tan-  
 quam ad justificationem necessaria, & ad eam pertinentia  
 admisceantur, aut inferantur. Non enim unum, idemque  
 est, de conversione hominis, & de justificatione ejus agere.  
 Similiter & renovatio, seu sanctificatio, quamvis & ipsa  
 sit beneficium mediatoris Christi, & opus Spiritus Sancti,  
 non tamen ad articulum, aut negotium justificationis coram  
 Deo pertinet, sed eam sequitur p. m. 687. 688.* Id quod  
 notandum contra Pontificios, falso autumantes,  
 in articulo de justificatione hominis peccatoris co-  
 ram Deo vocabulum justificationis infusionem ju-  
 stitiæ habitualis denotare. Et quidem Jesuita *Be-  
 canus* justificationem hominis peccatoris coram Deo  
 in sola habitualis justitiæ infusione consistere pu-  
 tat, quando scribit, *Justificationem nihil aliud esse, quam  
 mutationem, qua quis ex impio seu peccatore fit justus, sicut  
 sanatio est imitatio, qua quis ex aegroto fit sanus.* lib. I.  
 Manual. cap. XVI. § I *Thomas Stapletonus* autem,  
 etsi vocis justificare significationem forenssem in no-  
 stro articulo agnoscat, tamen simul quoque intelli-  
 gi vult infusionem novarum qualitatatum, seu virtu-  
 tum tanquam novæ formæ inductionem. Vid. ejus  
 Proleg. II. in Lib. V. de justif. p. III. seq. Cum igitur  
 omnes Pontificii hominis peccatoris coram Deo ju-  
 stificationem in mutatione quadam intrinseca, hoc  
 est, in habitualis justitiæ productione formaliter con-  
 sistere doceant, duplicem comminiscantur justifi-  
 fica-



bum פִּיטָם (*d*) & græcum *δικαιῶν*, significatio for-  
 rensis in sacra Scriptura inusitata prorsus est.  
 Certe enim idem significatus occurrit, quando  
 II *Sam.* XV: v. 4. perhibetur, Absolonem sce-  
 ptra nefario ausu concupiscentem paratum se ob-  
 tulisse ad justificandum quemvis: Sensus quip-  
 pe dicti illius est, Absolonem promptum se ex-  
 hibuisse ad quemcunque, sive revera justus esset,  
 sive non, pronunciandum justum, ad tribuendum  
 cuius justitiæ testimonium, ad absolvendum  
 eum, atque adeo liberandum à contraria accusa-  
 tione, & culpa, omnique malo. Sic & quando lex  
 divina *Deut.* XXV. v. I. sancit, iudices esse debere,

B qui

ficationem primam nempe, seu justificationem impii,  
 qua ex injusto fit justus, ex inimico amicus, ut fit  
 hæres secundum spem vitæ æternæ; & secundam  
 seu acceptæ justificationis incrementum, quando  
 nempe homines justificati, amici, ac domestici Dei fa-  
 cti de virtute in virtutem eunt, renovantur, atque ita  
 in ipsa justitia crescunt, & magis justificantur. Atq;  
 hoc modo docent, ac fere loquuntur *Patres Tridenti-  
 ni Sess. VI. cap. VII. & cap. X.*

(*d*) Sicut, Flacio in *Clav. Scrip.* p. 509. docente, apud He-  
 bræos verba quædam in Kal significant qualitate ali-  
 qua, vel motu aliquo præditum esse, in Hiphil verò  
 notant eam qualitem, vel motum iudicio, verbis  
 & asseveratione alteri tribuere: ita verbum פִּיטָם  
 in Kal omnino notat justum esse, in Hiphil autem  
 significat justum aliquem reputare ac absolvere.

(*d*) In



qui *justificent justum*, sensus est, oportere esse judices, qui justum habeant pro justo, absolvant, ac testimonio, laudeque justitiæ ornent. Nec vero *physicam*, sed *forensem* significationem justificandi vox habet *Prov. XVII. v. 15.* ubi *abominabilis Jehovæ esse dicitur*, qui *justificaverit* improbum. Cum enim justitiæ habitum alteri infundere Deo gratum sit atque acceptum, certe justificandi verbum ibi minime habitualis justitiæ infusionem denotat, sed significatur ibidem, eum Jehovæ esse abominabilem, qui improbum pronunciaverit justum, absolverit, ac encomio justitiæ decoraverit. Atque significatum illum forensem, velut in sacris literis occurrentem, ex ipsis Pontificiis agnovere *Pineda*, & *Tiletus*, quorum ille dilerte asserit (e), *Justificare esse verbum forense*, hic vero *Justificare*, inquit, *plerumque significat absolvere non autem infundere novis qualitatibus reipsa justum facere* (f). Ut autem Protestantium sententia contra Pontificios sufficienter asseratur, non ostendendum tantum est, in præsentî negotio, quando homo peccator coram Deo justificari dicitur, forensem habere significationem, sed evincendum quoque, solam eam, exclu-

sâ

(e) In cap. IV Job. (f) In confutat. Antwerp. Confess. cap. de Justif.



sá physicá hic obtinere. Prius exinde manifestum est, quod omnia justificationis sensu judiciali acceptæ requisita in hominis peccatoris coram Deo justificatione deprehendantur. Videlicet Theologi accuratiores huncce in modum argumentantur: Cuicumque justificationi omnia & singula justificationis in sensu judiciali acceptæ requisita competunt, ea est justificatio sensu judiciali accepta. Atqui hominis peccatoris justificationi coram Deo omnia & singula justificationis sensu judiciali acceptæ requisita competunt. Ergo &c. Uti Majoris propositionis veritas ex eo statim elucet, quod positis omnibus rei requisitis ponatur res ipsa; ita minor inde statim confirmatur, quod iudex *Job. V, 27. seq.* Judicium, & locus iudicii *Pf. CXLIII, vers. 2.* accusator trahens nos ad tribunal iudicis, & damnationis reos agens, lex scilicet *Job. V. v. 45.* reus, nimirum homo peccator velut *ἡ δὲ θεὸς ἰσχυρὸς*, h. e. Deo iudici obnoxius *Rom. III. v. 19.* testis comprobans accusationem legis hominemque convincens, conscientia nempe *Rom. II. v. 15.* advocatus, *I. Job. II. v. 1.* debitum *Matth. VI, vers. 12. XII. v. 24.* chirographum *Col. II. v. 14.* satisfactio pro reo *Rom. VIII, v. 32.* & absolutio *Pf. XXXII, vers. 1.* exprimatur. Alterum vero hac evincimus ratione: Si conde-



inatio non est habitualis & inhærentis injustitiæ infusio, sequitur, quod nec justificatio sit infusio habitualis, & inhærentis justitiæ. Antecedens hujus argumenti ex eo adparet, quod, si condemnatio esset habitualis & inhærentis injustitiæ infusio, DEUS ipse, quippe qui condemnat, injustitiam, & malitiam habitualement infusus esset homini. Consequentia vero allati hujus argumenti exinde clarissime liquet, quod justificationi opponatur condemnatio *Rom. VIII. v. 33. seq.* oppositorum autem opposita sit ratio. Caterum significatio illa, qua justificatio hominis peccatoris coram Deo designat actionem, qua Deus hominem peccatorem reputat justum, & absolvit, appellatur forensis propter aliquam analogiam, quæ est inter actionem illam divinam, & inter actionem externam forensam, qua judex cognita causa pro tribunali fert sententiam absolutoriam. Quemadmodum enim, ceu analogiam illam Flacius accurate explicat (g), judex cum ejusmodi fert sententiam, reum criminis, injustitiæque accusatum absolvit, & ab accusatione, culpaque suo judicio liberat: ita & Deus hominem peccatorem reputans justum, & à peccatis absolvens, hominem illum velut mortis, ac damnationis reum, fide

vero

(g) In Clau. Part. I. p. m. 407.



vero ad tribunal gratiæ, cum Christo suo advocato, & mediatore confugientem, propter meritum, ac intercessionem ipsius in gratiam recipit, & ab omni accusatione, maloque immunem intra mentem suam pronunciat.

§. III. Investigata hætenus significatione illa, quam justificationis vocabulum in præsentī negotio obtinet, circa *etymologiam* vocis illius nihil aliud observamus, quam quod, etsi vocabulum latinum justificare derivetur ex nomine justus, & verbo facere, genuinus tamen significatus vocis justificare in præsentī articulo non tam ex ista derivatione, quam ex usu loquendi in sacris literis recepto cognoscendus sit & æstimandus. Pridem enim ex Logicorum præceptis constitit, normam illam, secundum quam propria vocabulorum significatio dijudicanda est, non etymologiam, sed usum loquendi esse. Quanquam negari hic nequeat, significatui illi forensi, quem verbum justificare in præsentī negotio sortitur, ipsam quoque etymologiam favere. Namque non is tantum, qui per realem virtutum infusionem, ac per intrinsecam qualitarum mutationem alterum perficit, sed & qui iudicio, ac asseveratione alteri justitiam addicit, alterum facere justum ex usu loquen-



di in variis linguis obtinente dicitur. Vid. omnino *Flac. l. c. fol. m. 510.*

§. IV. Plus opera impendendum est in e-  
volvenda ea, quæ in justificationis voce delite-  
scit, HOMONYMIA. Magnam eam esse, agnoscit  
B. *Joh. Hülsemannus*, quando (b) apertè profitetur,  
variationem quandam, extensionem vel etiam re-  
strictionem *justificationis* in Nostratium scriptis  
deprehendi. Quidam nimirum Theologi *to ju-*  
*stificare* in sensu physico accipi, actumque, quò  
quis per realem virtutum infusionem & per intrin-  
secam qualitarum mutationem ex injusto re ipsa  
efficitur justus, designare contendunt cùm *Dan.*  
*XII, 12.* ubi *justificantes* multos, sicut stellæ, in se-  
culum & in perpetuum fulsuri perhibentur, tùm  
*Apocal. XII, 11.* quando dicitur: *ὁ δίκαιος ὁ δίκαιος ἔτι*  
*ἐν*, h. e. *qui justus est, justificetur adhuc.* Verùm  
enimverò etsi stante istiusmodi interpretatione fir-  
ma adhuc & immota persistat *Protestantium.*  
de significatu forensi sententia, cùm, eò dictorum  
illorum sensu admittò, non sit sermo de justifica-  
tione hominis peccatoris *coram Deo*, de qua tamen  
inter nos & Pontificios unice hïc disceptatur, sunt  
tamen Theologi, qui etiam in utroque dicto fo-  
rensem significationem locum invenire asseve-  
rant,

(b) Prælect. in Form. Conc. art. XI. sect. II.



tant. *Flacius* certè, quidpe qui haud fieri posse cenfer (i), ut verbum Hebraicum *הצריך*, si modò non violenter torquantur dicta, usquam in Scriptura idem valere invenias, quod ex injusto aliquem re ipsa reddere & facere justum, verbum istud nec in allegato Danielis dicto intrinsecam hominis mutationem, quàm ex injusto justus fiat, denotare docet, ratus quippe, ipsum nihil aliud ibi significare, quàm instituire ad justificationem, h. e. ad absolutionem ab omni reatu, eamque institutionem in Ecclesia à Ministris Verbi fieri, dum monstrant agnum Dei, peccata tollentem, atque in ejus merito ac nomine homines à suis peccatis absolvunt. Alii, quorum mentionem facit Summè reverendus Dn. *Præses* (k), adèò in illo Danielis loco forensè significationem locum sortiri contendunt, ut verbum *הצריך* propriè pro ipsa absolutione à peccatis ibidem sumi, atq; de Ministris Ecclesiæ, homines utpote ministerialiter à peccato absolvantibus, sermonem esse doceant. Sic & iidem Theologi citato *Apocalypseos* dicto huncce subesse sensum arbitrantur: *Qui obtinuit à Deo remissionem peccatorum, & justus*

(i) in Clav. part. I. fol. m. 710. (k) In Instit. Theol. part. III. Loc. VIII. §. II.



*stus declaratus est, peccatorum suorum veniam à Deo porrò impetret.*

V. Constat porrò ex B. Hasenveffero (l), justificationis vocem in ea latitudine nonnunquam accipi, ut *omnia Restaurationis Christi Beneficia, (Regenerationem, Justificationem strictè dictam, seu remissionem peccatorum, Adoptionem, Renovationem, Salvationem) uno complexu quasi cumulata comprehendat.* Atque in ista amplitudine eandem vocem usurpare videtur Augustinus, quando *In Justificatione, inquit (m), operamur & nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia ejus prævenit nos.*

VI. Cæterùm, accuratè observante B. Bajero (n), in Theologorum scholis ac scriptis usitator est stricta illa significatio, quâ justificationis vox denotat præcisè hominis peccatoris coram Deo justificationem, regeneratione posteriorem, renovatione priorem.

VII. Sed & hòc pactò acceptum justificationis vocabulum, varias iterum sortitur significaciones. Aut enim propriè designat ipsum actum Dei immanentem, quò Deus hominem peccatorem,

(l) in Præfat. LL. Theol. p. 9. (m) Tom. VII. Opp. Libro de Natura & Gratia, cap. XXXII. (n) in Compend. Theol. Posit. Part. III. cap. V. § I. not. a.



rem, adeoque culpæ & poenæ reum; sed in Christum credentem, in suo iudicio contra legis accusationem justificat; aut illius divini actus declarationem, quæ in hoc seculo coram hominibus per externa signa fit, *sensu improprio* notat. Atque hoc improprio sensu justificationis vocem in illis Apostoli Jacobi (o) verbis: *Videtur igitur, quod ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantum*, accipi statuunt B. D. Veltbemiſius (p), & alii quidam Theologi. Existimant quippe, verborum illorum sententiam genuinam eò redire, quod hominis peccatoris facta coram Deo justificatio non per solam fidem hypocriticam, sed per bona opera, tanquam per signa externa, coram hominibus in hoc seculo declaretur. Quem dicti istius sensum ut sufficienter demonstrent, duo ostendunt: Unum, quod Jacobus de hypocritica fide verba faciat; alterum verò, quod Jacobus non de ipsa hominis peccatoris coram Deo justificatione *in se* spectatâ, sed de ejus saltem declaratione loquatur. Prius ex eo evincunt, quod Apostolus in contextu adversus fidem operibus destitutam, atque adeò secundum se mortuam, & contra eos, qui etiam fide opera non habente hominem

(o) Cap. II, 24. (p) In *Fontibus universalis Theologiae*, pag. 360. seq.



nem justificari jactitabant, disserat, atque adeo in versu 24. hancce formet antithesin: *Homo ex sola illa fide non justificatur.* Commonstrant & alterum ex contextu. O Afferitur namque in versu 21. Abrahamum justificatum esse, cum filium suum super altare offerret, ac versu 25. Rahab justificata dicitur, cum nuncios exciperet. At verò nec Abraham tum primùm, cum filium suum super altare offerret, propriè justificabatur, nec Rahab tum demum, cum exciperet nuncios, consequabatur justificationem propriè dictam: Ambo enim fide justificante, cum qua justificatio ipsa immediatè conjungitur, jam antè pollebant, cum Epistola ad Hebræos testante (g), Abrahamus *ex fide* sobolem suam super altare offerret, & Rahab nuncios *fide* exciperet.

VIII. Tandem & justificationem hominis peccatoris coram Deo propriè acceptam variè in Nostratum scriptis usurpari animadvertimus. Interdum enim denotat actum, quò Deus reverrà quidem, sed *judicialiter* hominem ex injusto justum efficit; cujusmodi actus formaliter fit per justitiæ Christi imputationem. Quandoque notat totum processum divinum judicarium, seu totum illum processum, quo homo ex statu iræ

(g) cap. XI. v. 17. & 31.





in statum gratiæ *judicialiter* transfertur. Frequentissimè pro ultimo tantùm processus divini judicarii actu, nimirum pro hominis peccatoris, qui per imputatam Christi justiciam coram Deo jam justus est, reputatione pro justo, & à reatu absolutione accipitur. Primam illam acceptionem admittit ipsa *Augustana Confessionis Apologia*, quando docet (r), vocem justificari sumi posse bifariam: unò modò, prout idem est, atque *ex injusto justum effici*; alterò, prout idem est, quod *justos pronunciari seu reputari*. Homo enim ex injusto justus efficitur sive constituitur (judicialiter) à Deo, quando Deus ipsi justiciam, quæ coram tribunali divino valet, seu justiciam & Meritum Christi, activâ & passivâ obedientiâ constans, imputat. In secunda autem acceptione hominis peccatoris coram Deo justificatio formaliter importat tres actus, (1) cum *intellectus divini actum*, quò Deus judicat, hominem, etiamsi credentem, propriâ carere justitiâ, & *ex se æternæ damnationis reum*, seu æternâ morte dignum esse, (2) *justitiæ Christi imputationem*, (3) *absolutionem à peccatis*, seu judicialem à reatu (h. e. ab obligatione ad peccatam) liberationem. Tertiam verò acceptionem respicit B. Gerhardus, cum *Justificatio*, scribit. (s)

C 2 *dest-*

(r) Art. de Justif. p. m. 73. (s) L. de Justific §. 202.



definitur per remissionem peccatorum & non imputationem iniquitatum, qua definitio PLENA & PERFECTA est. Atque eodem sensu hominis peccatoris coram Deo justificatio accipitur, quando accusationi & condemnationi directè opponitur, ut cum e. gr. Paulus Rom. VIII, 33. 34. inquit: *Quis accusabit? Deus est, qui justificat. Quis condemnabit?*

IX. Cæterum, cum rerum nomina investigare non sit ultimus res percipiendi modus, nunc quoque, antequam ad quidditatis, causarum & effectuum Justificationis indaginem nos accingamus, SYNONYMIAM illius vocis trademus. Videlicet hominis peccatoris coram Deo justificatio, si propriè ac strictè, h. e. pro ultimo totius processus judicarii actu, condemnationi directè oppositò, sumatur, modò juxta Rom. c. IV. v. 8. *non-imputatio peccatorum* (t) modò ex Rom. cap. IV. v. 7. & Luc.

XI. v. (t) Sicut in genere ὁ λογισμὸς seu imputatio rei alicujus Flacio in Clav. Part. I. fol. m. 434. docente, est rationalis (h. e. internò mentis judicìo ac voluntatis decretò facta) attributio, applicatio, aut adscriptio: ita speciatim imputatio peccati, quæ ex debito aut jure stricto ac manifesto fit, in eo consistit, quòd quis (imputans) non tantùm judicet, hunc vel illum reverà tantum mali damnivè dedisse, ipsique tantum penæ pro isthoc malefacto rependendum esse, sed & vult, ut ipsi pro illo malefacto tantum penæ aut mali pas-



(21)

XI, vers. 4. *ἡ ὀφείλη τῶν ἁμαρτιῶν* h. e. *peccatorum remissio*

li passionis rependatur. Loquor studio de imputatione, quæ ex debito aut jure stricto ac manifesto fit. Nam imputatio peccati non ex debito strictoque ac manifesto jure, sed ex arbitrio imputantis, & ex ejus, cui fit imputatio, consensu libero facta, haud consistit in eo, quod imputans judicat, hunc ipsum, cui peccatum imputatur, tantum mali damnive reverà dedisse, sed in eo duntaxat posita est, quod imputans judicat, huic, cui peccatum imputatur, tantum pœnæ aut mali passionis ideò, quod alterius causam, onus & reatum liberè in se suscepit, pro alterius malefacto infligendum esse, vultque, ut ipsi tantum pœnæ aut mali passionis pro alterius malefacto infligatur. E. gr. quando Paulus, Onesimum tristi onere liberaturus, à Philemone petit, ut sibi injuriæ, furta & debita Onesimi imputentur, id sanè flagitat, ut Philemon non judicet solùm, Paulo, Onesimi personam liberè sustinenti, pro Onesimi factis tantum oneris incumbere, sed velit etiam tantum, quantum ab Onesimo jure stricto exigendum erat, à Paulo exigere. Ex hisce fundamentis facile nunc ostenditur, quid sit imputatio illa, quâ Deus homini peccata propria imputat, & quid in judicio divino sit non-imputatio peccatorum illorum. Nempe imputatio, quâ Deus homini peccata propria imputat, formaliter est tum intellectus divini actus, quò Deus judicat, hominem peccatis suis tantum offensæ & injuriæ Majestati divinæ intulisse, ac pro offensâ illâ & injuria infinitæ Majestati illatâ ipsi æternas pœnas rependendas esse; tum actus divinæ voluntatis, quò Deus serio & efficaciter vult, ut homini ob illam juris divini violationem ac pro-



ſio (u) nuncupatur. Remiſſio hæc peccatorum  
 vocatur aliàs ἀφεσις τῶν ὀφειλημάτων, h. e. *remiſſio*  
*debi-*

pter offenſam & injuriam infinitæ Majeltati illatam  
 æternæ pœnæ infligantur. Ex adverſo autem non im-  
 putatio peccatorum in judicio divino eſt, quando De-  
 us non judicat, homini peccatori, in Chriſtum  
 credenti, pro peccatis ſuis æternas pœnas repen-  
 dendas eſſe, neque vult, ut ipſi pro factâ juris di-  
 vini violatione æternæ pœnæ rependantur, ſed ju-  
 dicat potius ac vult, peccata hominis in Chriſtum  
 credentis ptopter ſatiſfactionem à Chriſto præſti-  
 tam, & à peccatore verâ fide apprehenſam non  
 amplius itâ ad ipſum pertinere, ut propterea æ-  
 ternis pœnis ſit afficiendus. Hinc *Victorinus Strige-  
 lius* in hypomnemâ. ad cap. III. *Rom.* conciſe ac re-  
 cte ſcribit: *Non imputare peccata eſt non cogitare, non*  
*decernere, quod ille credens ſe puniendus æterna pœna.*  
 (u) *Hominiſ peccatoris coram Deo juſtificatione dicitur*  
*remiſſio peccatorum aut debitorum per metaphoram à*  
*contractibus inter creditorem & debitorem inſitis*  
*deſumptam. Quemadmodum enim creditor, quan-*  
*do debitori, reddens chirographum, aut nihil ab*  
*ipſo ſe exacturum ſufficienter declarans, debitum*  
*remittit, tunc morale, quo debitor ad ſolvendum de-*  
*bitum adſtringebatur, vinculum, hoc eſt, obliga-*  
*tionem ad ſolvendum debitum relaxat: ita Deus,*  
*hominem in judicio ſuo juſtificans, morale illud*  
*vinculum, quò peccator ad luendas ſolvendasque*  
*æternas pœnas tenebatur, relaxat, hoc eſt, reatum*  
*per ſententiam abſolutoriam à peccatore tollit, nec*  
*ipſius peccata in æternum vindicare cupit. Qua-*  
*ratione Deus peccatorum noſtrorum obliſci* *Ezech.*  
*XVIII, 22. peccata noſtra in profundum mariæ projicere*

Mich.



debitorum *Matth. VI, 12.* & paulò pòst v. 14. 15.  
*ἀφεσις τῶν ὀφειστωμάτων* h. e. *remissio lapsuum*, nec  
 non *πίστις ἀμαρτημάτων* *Rom. III, 25.*

X. Hisce ita positis, properamus ad ejus,  
 de qua hîc exponimus, *Justificationis* quidditatem  
 & naturam declarandam. Id quod commodius  
 fieri vix potest, quàm si ejus *Terminos*, cum A  
 QVO, tum AD QVEM investigemus. Nam-  
 que hominis peccatoris coram Deo *justificatio*,  
 in sensu proprio accepta, omninò est aliqua (x),  
 licet non *intrinsicca* (y) ut *regeneratio* & *reno-*  
*vatio*

*Mich. VII, 19. post tergum rejicere* *Eccl. XXXVIII, 7.*  
*elongare à nobis* *Psal. CIII, 12. abscondere ab iis faciem*  
*suam* *Psal. LI, 11. dicitur.*

- (x) Mutatio enim est actio, per quam res quædam se-  
 habet nunc aliter, quam se habuit antè: Jam au-  
 tem vi *Justificationis* homo peccator se habet aliter,  
 quàm se ante *justificationem* habuit, cum per eam  
 ex reo liber à reatu, aut ex injusto justus fiat judi-  
 cialiter.
- (y) *Intrinsicca* enim mutatio terminatur ac recipitur in  
 ipsa re mutanda, atque fit per *intrinsicarum* quali-  
 tatum *expulsionem* ac *introductionem*: ast homi-  
 nis peccatoris coram Deo *justificatio* neque recipi-  
 tur in ipso homine *justificando*, cum fit actio Dei  
 immanens, neque *intrinsicarum* qualitatum *expul-*  
*siōnem* ac *introductionem* importat, cum non phy-  
 sicum, sed forensē significatum obtineat. Ne-  
 que obstat nostræ sententiæ, quod immunitas à  
 reatu per *justificationem* homini obtineat. Illa enim  
 immu-



vario (z), hominis mutatio. Atqui in mutatio-  
 ne quacunque duo ejusmodi termini sunt spectan-  
 di, cum mutatio specificum esse à suo termino  
 accipiat. Hinc & B. Leonbardus Hutterus (a) ac-  
 curatè inquit : *In actu justificationis duo dantur  
 termini : Unus est mali, à quo liberamur : Alter  
 verò est boni, ad quod transferimur.* Scilicet  
 justificationis strictius acceptæ ( quæ est ultimus  
 processus divini judicarii actus, condemnationi  
 directè oppositus) **TERMINVS A QVO** (b)  
 est

immunitas non est qualitas quædam homini in-  
 hærens & intrinseca, sed relatio quædam ad ma-  
 lum, à quo sumus liberati, & ad bonum aliquod  
 nunc subeundum. Conf. B. Bajeri Compend. The-  
 olog. Posit. Part. III. cap. V. §. II. n. c.

(z) Scilicet insigne adparet justificationis discrimen à  
 regeneratione & renouatione. Justificatio enim  
 hominis peccatoris coram Deo non est mutatio ho-  
 minis intrinseca, neque pro Terminò sive A QVO,  
 sive Ad QVEM, habet intrinsecam hominique  
 inhærentem qualitatem: at cum regeneratio, tum  
 renouatio realem & intrinsecam hominis mutatio-  
 nem importat. atque intrinsecam aliquam homi-  
 nique inhærentem qualitatem, tanquam Terminum  
 (tum A QVO, tum AD QVEM) agnoscit.

- (a) L. L. Theol. de causa formali Justif. p. m. 474.
- (b) Sicut cujusvis mutationis Terminus à quo appellatur  
 id, à quo res mutanda auertitur per mutationem,  
 ita justificationis Terminus à quo nuncupatur illud, à  
 quo homo justificandus per justificationem liberatur.

(c) Sta:



est status iræ strictè sic dictus (c), qui nihil aliud est, quàm reatus simpliciter & absolutè talis (d) h. e. obligatio ad luendas pœnas, & quidem reatus cum temporalium, cum æternarum pœnarum (e). Ille verò reatus per justificationem haud quaquam tollitur & aufertur de ipso peccato : Reatus enim & culpa sunt peccati *formalia consecutiva*, seu essentialia proprietates, essenciæ autem & essentialia proprietates rerum æternæ sunt & absolutè immu-

D tabi-

- (c) Status iræ, si in latiori significato accipiatur, ipsam quoque corruptionem homini intrinsicam, inprimis omnimodam virium spiritualium carentiam, suo ambitu complectitur.
- (d) Et si vulgò inter reatum *culpa*, & inter reatum *pœne* distingui soleat, solus tamen reatus *pœnæ absolutè & simpliciter* reatus adpellatur. Sicut verò reatus *culpa* est relatio quædam ac macula ex peccato, ob ejus à regula rectitudinis exorbitantiam, resultans, quâ qui peccat, non eò tantum tempore, quò peccat, sed etiam ubi peccatum quoad entitatem suam transierit, formaliter culpabilis constituitur, donec sequatur peccati expiatio : ita Reatus *pœnæ* est debitum quoddam & obligatio ad pœnam sustinendam. Vid. B. Job. Musæi Dissert. de insuff. lum. nat. ad salut. ætern. §. XXX.
- (e) Pœnæ illæ æternæ, quarum reatus aboletur per justificationem, sunt tam privativa, quàm positiva. Privativa important multiplicem boni privationem, nempe ex parte intellectus, ex parte voluntatis, & ex parte corporis : Positiva autem involvunt varia positiva mala, nimirum in intellectu, voluntate ac corpore.

(f) Uti



tabiles. Tollitur autem reatus de peccatore in-  
 tantum, quatenus Deus justificans propter Justi-  
 tiam Christi fide apprehensam & imputatam eum  
 non amplius pro *reo* in suo iudicio reputat, sed i-  
 psum potius ad æternam vitam intuitu perfectis-  
 simi Meriti à Salvatore præstici deputat. Proin-  
 de in justificatione reatus ab homine peccatore a-  
 liã prorsus tollitur ratione, quàm in regeneratio-  
 ne. Quippe ab homine per regenerationem tol-  
 litur tanquam per intrinsecam mutationem, quã  
 ex homine infideli fit fidelis, adeoque talis, qui in  
 iudicio divino per sententiam Dei iudicis absolu-  
 toriam, salvã justitiã divinã, à reatu absolvi possit;  
 Ast per justificationem aboletur tanquam per *ju-  
 dicialem actum*, quò Deus hominem peccatorem  
 intuitu perfectissimæ satisfactionis alienæ in suo  
 iudicio à reatu absolvit. Ex quibus manifeste ad-  
 parer, justificationis strictius dictæ terminum A  
 QVO *proprium & adequatum* esse poenarum tem-  
 poralium & æternarũ reatum, ut ab homine pecca-  
 tore per sententiam absolutoriam tollendum. Non-  
 nulli equidem Theologi justificationis *Terminum* A  
 QVO esse docent peccatum cum originale, tum  
 actuale, sed idem sentiunt cum illis, qui istiusmo-  
 di *Terminum reatum* esse disputant. Qui enim  
 peccatum pro isto habent *Termino*, illi peccatum  
 considerant præcisè ratione reatus, quem tanquam  
 essen-



essentialem suam proprietatem involvunt. Quem admodum igitur Justificationis pro ultimo processus judicarii divini actu acceptæ TERminus A QVO meritò censetur REATVS, ita Terminus AD QVEM (f) est immunitas à reatu, atque adeò dignitas præmiorum justitiæ, quatenus judicialiter, h. e. per sententiam Dei absolutoriam nobis obtingit (g). Atque illa immunitas à B. Bajero (h) dicitur *nostra justitia*, scilicet non *habituali*, neque *imputata* nobis Jesu Christi justitiæ, seu ipsum Salvatoris Meritum, sed *relativa*, aliquam ad bonum quoddam subeundum relationem importans, quæ propter justitiæ Christi imputatam, velut propter fundamentum & causam, ad nos redundat. Cæterum si hominis coram Deo justificatio denotat actum, quò Deus hominem non declarat justum, sed in judicio suo ex injusto justum reddit (qui actus consistit in Justitiæ Christi imputatione), ejus Terminus A QVO est justitiæ coram

D 2 Deo

(f) Ut mutationis cujusvis Terminus AD QVEM vocatur id, ad quod tendit mutatio, & ad quod res mutanda per mutationem transfertur: ita speciatim justificationis Terminus AD QVEM adpellatur illud bonum, ad quod tendit justificatio, & ad quod homo per justificationem transfertur.

(g) Licet etiam per regenerationem, quippe quæ est fidei justificantis, nosque, ut *Augustana Confessionis Apologia* p. m. 73. 74. 81. loquitur, ex *injustis justos efficiendis* accensio, immunitas à reatu, & præmiorum justitiæ dignitas acquiratur, non tamen bonum illud per regenerationem obtinetur, tanquam per sententiam Dei judicis absolutoriam, sed tanquam per realem aliquam & intrinsecam mutationem, quâ virium credendi carentia in homine tollitur, contra vero habitus credendi in eundem introducitur.

(h) in Compend. Theol. Posit. Part. III. cap. V. §. IV. not. 2.



Deo valentis carentia, Terminus AD QVEM verò est *Justitia nostra* coram tribunali divino adeò valens, ut ejus intuitu Deus in judicio suo nos justos reputet. Illa autem *Justitia*, quatenus est *Justificationis Terminus AD QVEM*, non est nobis inhaerens (i), sed ipsa Jesu Christi *Justitia*, considerata ut *nostra*. Illa enim *justitia*, non essentialis quidem (k), sed in Merito Salvatoris, h. e.

in

(i) Et si enim (uti B. Mart. Chemnitius in Exam. Conc. Trid. P. I. p. m. 253, rectè scribit) *credentes ex renovatione per Spiritum S. etiam inhaerentem justitiam habeant, quia tamen illa in hac vita tantum inchoata, imperfecta, & propter carnem adhuc immunda est, idè ipsa non possumus nos in judicio Dei confitere, nec propter illam Deus nos justificare.* Hinc & Apostolus *Pbil. III. v. 8. 9.* scribit, se in collatione Christi omnia, quæ coram mundo maxima videri poterant, pro detrimento & quiescentibus habere, ut Christum lucrifaceret, & inveniretur in illo, non habens suam justitiam ex lege, sed eam, quæ est per fidem in Christum. Hòc ipso sanè significat, se non justitiâ sibi inhaerente justum esse velle, sed eâ justitiâ, quæ per fidem in Christum aliunde in homines derivatur. Id quod summò studiò notamus contra Pontificios, qui justitiam illam, quâ coram Deo formaliter justus sumus, non aliam, quàm habitualement nobisq; inhaerentem esse somniant. Certè haud veriti sunt *Tridentini Patres Sess. VI. can. XI.* anathemate ferire eos, qui hominem *sine gratia & charitate, quæ in corde ejus per Spiritum S. diffundatur, atque illi inhaereat, justum fieri docent.*

(k) *Andrea Oslandri* sententiam à nobis hic rejectam, (quæ illam Christi justitiam, quâ coram Deo justus sumus, esse dicit justitiam Christo ut Deo essentialem in nobis habitantem, nosq; ad benè operandum impellentem) *Declaratio Solida Form. Concord. art. III. p. 682.* ita effert: *alii contenderunt, justitiam fidei (quam Apostolus justitiam Dei appellat) esse justitiam Dei essentialem, quæ sit ipse Christus, ut verus naturalis & essentialis Dei filius, qui,*

per



per fidem in electis habiter, eosq; ad bene operandum impellat, & hæc ipsa ratione eorum sit iustitia: cuius inhabitantis essentialia iustitia respectu omnium hominum peccata sese habeant instar guttule aquæ, ad magnum mare collate. Quæ Osiandri sententia in ejus sermone super Rom. VII. nec non in ipsius Confessione T. I. q. 2. deprehenditur. Rationes ejus expensas vide in Osiandri-  
 smo *VVigandi* pag. 35. seqq. Isti Osiandri somnio applauserunt cum veteres, tum recentiores, nostrosq; ævò grassantes Fanatici. *Schwenckfeldius* olim in Lib. de verbo expressè scripsit, Osiandrum RECTE docuisse, nos solum imputativa iustitia ex ætate nos, propter obedientiam Christi iustos esse, sed vera & essentiali Dei iustitia, ac Christum in nobis habitantem esse illam essentialem iustitiam. Nec non *VVeigelius* P. II. Postill. pag. 113. in orthodoxos Osiandristum oppugnantes ita invehitur: Sie wollen nicht gang Osiandristen seyn / denn es kostet den alten Schalk und Balg. Sic & illam maleficatorum turbam, *Strifellum*, *Felgenhauerum*, *Hobburgium* justificationem nostram de Christi in nobis immediatâ in habitatione exposuisse, atque hoc ipsò Osiandricam sententiam in Ecclesiam revocasse, *Theologi Lubecæ*, *Hamburg.* & *Luneburg.* ausführh. Bericht de novis Prophetis, Motiv. X. S. 818. p. 470. 471. & *Chug. Schrift* Part. II. pag. 379. 384. docuerunt. Tandem ex Quæckeris *Robertus Barclajus* in Apolog. §. VIII. p. 140. formulâ hodiernis Fanaticis admodum familiari usus, *Confidenter affirmo*, scribit, idque non solum scientiâ notionali, sed secundum realem experientiam & rei sensationem, quod causa immediata, proxima & FORMALIS (si hoc verbo uti oportet) quâ homo justificatur in conspectu Dei, sit revelatio Jesu Christi in anima; qui convertit & renovat animum, quò qui hujus operis auctor est, sic formatò & revelatò verè justificamur & acceptamur in conspectu Dei. Cæterum rationes, quæ contra Osiandri & suffragantium Fanaticorum sententiam urgeri possunt, *B. Balduinus* in comment. ad caput III. *Phil. Qr. V.* succinctè exhibuit. Nos verò nunc unum saltem vel alterum producemus argumentum. Primò scil. Osiandri & asseclarum Fanaticorum sententia præsupponit falsam illam hypothesin, quòd homines coram Deo actu & reverà non sint iusti per ipsius



In obedientia ipsius activa & passiva consistens, per imputationem à Deo factam ita sit *nostra*, ut per eam coram Deo *formaliter*, h. e. actu & reverà, justi simus (1), ac si ipsimet legem Dei implevissemus & pro peccatis nostris

Meritum, in impletione totius legis perfectissimà inque passione ac morte consistens. Cujus hypotheseos falsitatem Theologi ex Rom. c. III, 24. seq. Rom. c. VIII, 3. Ef. LIII, 5. c. LXIII, 3. II. Corinth. V, 21. *Secundò* eadem sententia præsупponit eam falsam hypothesin, quòd hominis peccatoris coram Deo justificatio nihil aliud sit, quàm sanctificatio & renovatio hominis, quæ peccatorum remissionem sequitur. *Tercio* justitia illa, quâ coram Deo reverà justi sumus, tollit peccati reatum à peccatore *formaliter*, seu hominem constituit justificabilem, h. e. talem, qui justus declarari & à peccato absolvi possit: At verò non justitia Dei essentialis, sed Meritum Christi juxta illud *Esaiæ* dictum cap. LIII, 5. *per vulnera ejus sanati sumus*, peccati reatum à peccatore formaliter tollit; etsi Deus, qui quoad rem est ipsa essentialis Dei justitia, peccati reatum à peccatore tollat *active*, nimirum peccatum remittendò.

(1) Spectant huc imprimis egregia illa Apostoli dicta II. Cor. V, 21. & I. Cor. I, 30. quorum illud docet, Christum, qui peccatum non novit, pro nobis factum esse peccatum, ut nos efficiamus justitia Dei per illum; hoc ve rò Christum nobis factum à Deo justitiam esse testatur. Sensus scilicet prioris dicti eò reddit, quod Deus Jesum Christum, in se ἀνανοῦ καὶ ἀπλάτων (Hebr. VII, 26.) peccatorem quasi summum impuando eò omnium hominum omnia peccata, poenasque peccatis illis debitas ab ipso omnium peccatorum causam & vices in se suscipiente, exigendo fecerit, ut nos per ipsum ratione Meriti & satisfactionis spectatum perfectè justì coram Deo constitueretur. In eo quidè dicto more loquendi in sacris literis receptò *abstractum pro concreto cum insigni emphasi* ponitur Vid. B. *Glassii Philologia Sacra*. Part. III. Tract. I. Sententia.

verò



nostris satisfecissemus (m). Eadem iustitia ab A-  
postolo nunc vocatur *iustitia Dei* (n), nunc *iusti-*

verò dicti posterioris est, Christum ratione Meriti spectatum,  
seu Meritum Christi à Deo per imputationem factum esse no-  
stram coram tribunali divino valentem iustitiam. Id quod  
summo perè tenemus contra Pontificios, qui nos per iustitiam  
Christi imputatam formaliter iustos esse, tantà vehementiâ ne-  
gant, ut *Pæres Tridentini* Sess. VI. can. X. eum, qui *homi-*  
*nes per Iustitiam Christi formaliter iustos esse dicit*, anathema  
esse jubent.

(m) Eleganter *Flacius* in *Clav. Script. Part. I. pag. 432.* hanc do-  
ctrinam ita illustrat: *Imputatâ Christi iustitiâ* ita gloriôsè  
ornamur, ut non solum nulla nostra macula peccatorum cer-  
nantur, sed etiam summâ ac fulgentissimâ quâdam iustitiâ re-  
splendeamus; ut què veluti metamorphosin quâdam aut trans-  
figurationem, imputativè tamen, passî esse videamur. Eodem-  
què pertinet, quod pag. 433. inquit: *Imputatur nobis ius-*  
*sitiâ*, dum nimirum *Christi iustitiâ* in nos transcribitur, dum-  
que nos ad eam censetur, & per absolutionem aut remissionem  
injustitiâ pronunciamur esse iusti, cum non stent; dumque te-  
gantur, ac non imputantur nostra peccata, aut injustitiâ, quasi  
nulla adsit, cum tamen adsit plurima; dumque alieno merito  
coram Deo fulgemus, ac gloriôsî constituimur, quasi abundaremus  
propriâ iustitiâ, cum ea reverâ non adsit, sed simus non operantes,  
& peccatores, ac etiam impii, sùd modo.

(n) *Iustitiâ Christi* imputata *Rom. I. 17. Rom. III. 21. 22.* *δικαιοσύνη*  
*Dei* appellatur, quia coram Deo valet, à Deo ad id, ut per ipsam  
formaliter iusti simus, ordinata est, atque à Deo velut nostra ac-  
ceptatur, nobisque imputatur & applicatur. Errat verò *Bellar-*  
*minus Libr. I. de Iustif. cap. I.* quando docet, illam *Dei iustitiâ*  
in allegatis locis denotare recti tudinè internam, qua homo  
rectè ordinatur ad Deum & proximum, eamque *Dei iustitiâ*  
vocari, quòd à Deo donetur. Quæ sententia vel eo refelli por-  
est argumentò, quòd illa *iustitiâ Dei*, de qua Apostolo sermo  
est



itia ex Deo (o), nunc iustitia, quæ est per fidem Christi  
(p) nunc iustitia in fide (q).

Supereft in præfenti, quod aggregi fumus, argu-  
mento tractatus de caufis, mirisque ac fvariffimis effe-  
ctibus; Sed verò cum aliorum negotiorum copia hîc  
gradum figere jubeat, eorum, quæ reftant, contem-  
plationem alii tempori & occafioni refervamus, Deo O-  
ptimo Maximo pro ope hætenus impertitâ æternas gra-  
tes perfolventes.

eft, reveletur in Evangelio Rom. I. 17. neutiquam in lege Rom.  
III. 21. ea verò interna rectitudo, quam Bellarminus intelligit,  
in lege omninò manifefteftur

(o) Dicitur & Phil. III, 9. δικαιοσύνη ἐκ Θεοῦ (h. e. iustitia ex  
Deo) ratione caufæ efficientis, quia fcilicet à Deo ad nos for-  
maliter iuftos constituendos est ordinata, nobisque à Deo ap-  
plicatur & imputatur. Scilicet particula ἐκ uti alias Matth.  
I. 18. 20. Job. III. 5. ita & h. l. causalis est, caufamque effi-  
cientem importat.

(p) Vocatur Rom. III. 22. Phil. III, 9. Iustitia κατὰ Πίστεως Χριστοῦ (h. e.  
per fidem Christi,) quia (ut loquitur Apoft. Rom. III. 22.) per fidem,  
qua in Christum credimus, in omnes & super omnes credentes ve-  
nit, seu, (ut Apolog. Aug. Confess. pag. 125, ait) communica-  
tur & donatur nobis per fidem. Videlicet fides Christi hic non  
dicitur subjective, quali fit in Christo, sed objective, quod scil.  
fit in Christum.

(q) δικαιοσύνη ἐν τῇ πίστεως, h. e. iustitia in fide Phil. III, 9.  
appellatur, quia fides eam, velut annulus gemmam, comple-  
ctitur, ipsaque (ut solida Decl. Form. Conc. pag. 687. in-  
quit) à Deo fidei imputatur.

FINIS.



5 01 A 6592

ULB Halle

3

003 106 357



Vd 17


1380.











B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE

IVSTIFICATIONE  
HOMINIS PECCATORIS  
CORAM DEI IUDICIO,

ANNVENTE <sup>quam</sup> TRINUNO

In Illustri Academia Salana,

SVMME VENERANDI COLLEGII THEOLOGICI  
CONSENSV

PRÆSIDE

*Maximè Reverendo, magnifico ac excellentissimo viro,*

DOMINO

FRIDEM. BECHMANNO,  
S. S. Theol. Doctore ejusdemque in Academia Jenensi  
Profess. Publ. Ordin. Facultatis suæ & totius Academiæ Se-  
niore venerando,

PRO LICENTIA

SVMVM IN THEOLOGIA GRADVM RITE CONSEQVENDI,  
publice examinandam proponit hor. ante & pomerid.

*d. Novembr. Anno 1701.*

M. MATTHIAS JACOBVS *Wahl*  
Magdeburgensis ad Templum Spiritus S.  
Ecclesiastes.

JENÆ,  
Literis KREBSIANIS.

